



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ
propositiones, & alia

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 21. Quænam præterea observanda sunt à Confessore in imponendis
pœnitentiis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40817

vix quidem, præsentis peccatores pœnitentiis antiquis subijci possunt.

Ex quibus inferre solummodo licet cum D. Carolo, quem in initio responsionis superioris laudavimus, & cum S. Francisco Salesio in suis admonitionibus ad Confessores, cap. 8. Confessarium non debere quidem Pœnitentiam ab antiquis Canonibus præscriptam imponere, ubi videt Pœnitentem minimè paratum, & dispositum ad eam suscipiendam, & tunc saluti quidem fuerit faciliorem imponere, cum melius sit ut plurimum pœnitentes cum amore, & benignitate, sine ulla tamen adulatione, quàm cum rigore tractare; nihilominus tamen antiquos Canones inculcandos esse, monendumque Pœnitentem, pro gravitate criminum suorum, majorem & severiorem Pœnitentiam se mereri, ut impositam cum majori humilitate & devotione suscipiat.

Quest. 21. Quænam præterea observanda sunt à Confessore in imponendis pœnitentiis?

Resp. Cavere debet, ut ait S. Franciscus Salesius in admonitione sua ad Confessarios loco citato, ne imponat Pœnitentias confusas, & intricatas variis orationum, aliorumque rerum generibus. v. g. ut recitet pœnitens tertiam orationem Dominicam, Hymnum aliquem, preces, Collectas, Antiphonas, Psalmos, neque varias diversasque debet præscribere actiones. v. g. ut per tres dies elemosynas largiatur, tribus feriis sextis jejuset, Missam unam celebrari curet, sese quinquies disciplinâ percutiat. Ex hac confusione actionum, & orationum, duo sequuntur incommoda; alterum quod pœnitens eorum obliviscitur, & postea scrupulis angitur; alterum quod plus cogitat quid dicendum, faciendumque sit, quàm de

De Sacram. Pœnit. Cap. VIII. 135

iis ipsis quæ dicit, & facit, & dum in memoria sua quærit quid faciendum sit, aut in horis quid dicendum, devotionis fervor tepescit, & friget.

CAPUT VIII.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

Quæst. I. **Q**UISNAM est legitimus Sacramenti Pœnitentiæ Minister?

Resp. De Fide est definitum in Concilio Tridentino, solum Sacerdotem habere auctoritatem absolvendi, ut habetur in Decreto Eugenii in Concilio Florentino, ubi sic dicitur: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione Superioris.* Verba verò Concilii Tridentini hæc sunt: *Circa Ministerium autem hujus Sacramenti declarat sancta Synodus, falsas esse, & à veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines præter Episcopos, & Sacerdotes, Clavium Ministerium perniciosè extendunt.* sess. 14, cap. 6.

Quæst. 2. Sufficit-ne, ut quis sit Sacerdos, ad audiendum validè Confessiones?

Resp. Non sufficit, sed ut possit validè absolvere, præter potestatem Ordinis, quam universi Sacerdotes habent, requiritur potestas Jurisdictionis, ut definit idem Concilium Tridentinum his verbis: *Hæc Synodus confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert in quem ordinariam aut subdelegatam non habet Jurisdictionem.* sess. 14, cap. 7.